



Heroicarvm Et Ecclesiasticarvm Quaestionvm Libri VI.

Sex libris prioribus universa Regalium, Iurisdictionis Ecclesiasticorum
Temporalis Et Constantinianae Donationis ratio discuritur ... contra
profanas & vanas cuiusdam Bodini novitates

De Satvrnino Permvttationis Beneficialis (Etiam Triangvlaris) - iure
Commentarius ad omnes Pontificum Constitutiones hûc pertinentes;
contra sceleratas & impias Ecclesasticorum beneficiorum mundinationes &
heriditarias quasi successiones

Epo, Boetius

Duaci, M.D.LXXXIIX.

336 Triangulus quomodo sit Simoniacus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61721)

libus casibus detur vel relinquatur ius aliquod spirituale cum onere faciendi quippiam per accipientem, quasi in pretium vel pro pretio rei spiritualis; id quod iure multiplici prohibetur; adeo ut & vera duorum permutatio beneficij cum beneficio .i. rei spiritualis cum spirituali, censeatur atque sit Simoniaca si solos inter cōtrahentes autoritate fiat propria, sicut inter superiora docebamus ad c. cum olim. Quis autem non videt in permutationibus istis triangularibus vel quadrangularibus beneficium sic alteri cuiquam ab altero dari seu relinquere ut is vicissim teneatur ac obligetur gratificari certo cuiquam tertio simul compermutanti? Dixerit fortasse quispiam; frustra fieri per plura quod fieri potest per pauciora: duabus autem permutationibus in casu propositæ quæstionis rectè beneficia tribus istis compermutantibus obuenire posse; si nimirum prius A & B inter se soli permutent, ac deinceps A rursus & C inter se soli, vel ordine verso, prius A & C, ac deinceps C rursus ac B. Quidni ergo fiat id vnica permutatione triangulari? respondendū est, in contractu illo gemino veras interuenire permutationes duas, in contractu autem isto triangulari vnico nullam reuera esse permutationem. atqui cōventiones & pactiones omnes beneficiales, excepta sola permutationis causa, sunt Simoniacæ secundum superius memorata. Qua verò tandem de causa, putas, inter sese duo soli non permutarūt prius, ac deinceps alter solus cum

m iij tertio?

336

*Triangulus
quomodo sit
Simoniacus.*

337

*Cur vnica
permutatio
ne triangulari
nequeat, fieri
quod rectè fit
permutatio-
nibus veris
duabus.*